



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.5. Extrema dictorum clausula.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

eius sedentis super flumina Babylonis, atque ad coelestem
Jerusalem aspirantis, tot gemitus ac suspiria in ipsius tracta-
tibus legimus; atque hæc inter cætera: *ô sancta Sion, ubi* *In ps. 136.*
solum stat, & nihil fuit: quis nos in ista instabilia dejecit?
Quare dimisimus conditorem tuum & societatem tuam? Et al-
lio in loco: *ô bona Domini dulcia, immortalia, incompara-* *In ps. 26.*
bilia, sempiterna, incommutabilia! Et quando vos videbo, bo-
na Domini! Et rursus in persona Psalmistæ: *Per singulas*
noctes steho, in desiderio lucis ardebo. Videt Dominus desiderium
meum. Et alibi passim. Neque enim istis, tametsi prædul- *Tract. 34. in*
cibus, operosius insistere nos finit præsentis instituti ratio. *Joann.*

Videantur ex altero sexu S. Mariae Oegniacensis, ex-
tremo vitæ suæ anno ad instantem jam DEI conspectum cu-
pidissimè anhelantis, ardores, clamores, & impatibilia
desideria, vi quorum subinde sic cruciatur, ut toto cor-
pore dirumpi videretur; teste Cardinali à Vitriaco in ejus *l. 2. c. 20.*
vitæ.

§. 5.

Extrema dictorum clausula.

Istæ igitur sunt, & si quæ aliæ, velut intestinæ Sanctorum
cruces: præ quibus, inflicta extrinsecus cruciamenta,
sagittas parvulorum & imbellia tela reputant; ut quæ sum-
mam tantum cutem dstringant atque delibent, non etiam
ad ipsa viscera, aut cordis intima pertineant.

Cæterum ad ea quæ diximus exigat quisque atque ca-
stiget & exacuat amorem suum: comperto, robustum amo-
rem grandibus gaudere atque ali crucibus, & magnas men-
tes fortibus certaminibus exerceri: neque continuo atque
ad aliquam amoris divini perfectionem quis profecerit, eò
omnia jam proclivia ac suavia esse; sed ut aliæ desint acer-
bitates, ipsum æstuantem atque incitatum mentis ardorem,
animæ Deum valdè amanti, pro magno quandoque tormen-

XXX

30

to esse. Quanquam eidem & istud tormentum oppidò dulce est: fitq; nescio quo modo, ut tot inter cruces interiores, in profundiore ac reconditiore quodam recessu, sua illi constet tranquillitas; & in summa (ut sic appellem) mentis arce, abundantia pacis perfruatur.

Hinc etiam, sive S. Bernardus, sive Guilielmus Abbas in tractatu de Amore, Dei amore ac desiderio astuans, atq; ingemiscens, quòd eum nondum in se ipso, sed in suis duratioribus operibus (licet amabilibus) intueatur; ita ait ad Deum suum: *Quae* (scilicet opera tua) *quandò te manifestius & verius predicant & approbant amabilem; tantò ardentius te mihi faciunt desiderabilem. Sed heu! non ad perfectam fruendi suavitatem & gaudium, sed ad intentionis & affectus (non enim sine aliqua suavitatem) tormentum.*

Videri etiam potest de hoc argumento S. Teresa in Castello animæ, mansionè quintà, capite undecimo.

CAPUT XV.

Dei servos, qui crucis complexum & mortificationis studium refugiant, ea propter crucem multiplicem, pluresq; mortes incurrere.

DEI servos eos hic intelligo, qui severiori obstricti disciplinà, sese gravioribus seu letalibus noxis abstinunt: ceterùm remissè languidèq; viventes, & umbrà quædam difficultatis absteriti, à crucis mortificationisve complexu, & semetipsos pervincendi studio (quoad ejus possunt) refugiunt. Quos equidem longè errare pronuncio, si hac ratione crucem sese omnem defugituros, & non magis in graviolem aliquam incursum esse existiment: quin
ipsum